



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod amor in se continet doctrinam veritatis, 26

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

sed etiam omnem cogitationem. Custodit Domine verus amor, ne gaudeat homo super iniquitate, quod est diabolicum, & signum magnæ corruptionis animæ, & elongationis à te, cum talis iniquitas summe tibi displiceat. Sed verus amor, Domine, semper gaudet de bono, & non de malo. O misericordissime Domine Iesu Christe, amantium custos fidelissime, dum præmissa omnia & singula mente revolvo, sentio me à vero amore elongatum. Quia invidia plenus fui & sum, me ipsum exaltavi, & proximum dejeci. Me nimis dilexi, animum habui vindictæ cupidum, in malitia gaudium concepi. Et denique ad omne malum, propter amoris tui defectum, multipliciter pronus fui. Adjuva me, piissime Domine Iesu Christe, largitor & conservator amoris. Et da mihi verum amorem indeficientemque; ut ab iis, quæ tibi displicent, abhorream; & quæ tibi placeant, recipiam, teneam, & adimpleam; ut in fine tuam gloriam perenniter & sine fine diligam, Amen.

CAPVT XXVI.

*Quod amor in se continet doctrinam
veritatis.*

I. **P**erfectus amor (clementissime Domine Iesu Christe, qui omnes perficis amantes) docet veritatem; quia in dilectione tota lex pendet & propheta. Quicquid latet, & quicquid patet in divinis sermonibus, & in tota sacra scriptura, dilectio ipsa comprehendit; Quia scriptum est:

A a

Ple-

Plenitudo legis est dilectio. Nam tota lex, imo tota scriptura, aut præcipit & consulit ea quæ faciunt ad tuam & proximi dilectionem, sicut patet in præceptis affirmativis; aut inhibet & dissuadet illa, quæ impediunt & dirimunt dilectionem, ut liquet in præceptis negativis. Quid ergo est quod scribitur: Qui proximum diligit, legem implet: nisi, quod qui diligit proximum, diligit & te Deum? Quia eadem est virtus & dilectio, qua quis utrumque diligit. Vt idem est radius, quo quis Solem & terram intuetur: sed illum in imo tuæ dilectionis radio diligit, te autem in illius summo. Aliarum autem rerum dilectio, qualis est in mundo, ò Domine Iesu Christe, Sol amoris, miserabilis profecto est & stulta, & exprobrabilis insania; quod scilicet relicto tuo amore, dilectioni aliarum rerum homo adhareat. Sed benignissime Domine Iesu Christe, ad verum amorem reluctor ego gravissimus peccator, dando meipsum voluntarie quodammodo in reprobum sensum: tuam veram & animæ meæ contemnendo dilexi vanam voluptatem, interdum fortunam & temporalem facultatem non considerans, quod qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.

2. Dilexi frequenter mundanam vanitatem, contra consilium scripturæ, dicentis: Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem? Interdum dilexi irrationabiliter cognationem & propinquitatem meam plus quam te, & sic non eram te dignus. Qui amat patrem aut matrem plus quam te, non est te dignus.

Ali-

Aliquoties dilexi munera & dona, sæpe etiam superstitiones & deliramenta; frequenter contumelias, detractioes, ac convitia. Et ideo dignus eram ut maledictio mihi veniret, sicut scriptum est: Dilexit maledictionem & venit ei. Dilexi interdum vindictam, & malitiam, & iniquitatem, quas reprehendit scriptura, dicens: Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui æquitatem. Ista fuit, o superamande Domine Iesu Christe, miserabilis & iniqua vita mea, non attendens scripturam, dicentem: Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Sed tu misericors & miserator Domine, ignoscere misericorditer mihi dignare; & illustra mentem meam, ut te perfecte diligam, ut sic informetur anima mea doctrina veritatis; ut tecum, qui es amor & veritas, in amore & veritate vivam per infinita sæculorum sæcula, Amen.

C A P V T XXVII.

De amore, quo Deus diligit hominem.

I. **A** Mantissime Domine Iesu Christe, tu diligis hominem, qui servat munditiæ puritatem. Simile enim suum diligit. Et quia tu purus es, & omnium maxime purus; ideo diligis puros, sicut scriptum est: Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem. Sic enim dilexisti beatum Ioannem Evangelistam, de quo scribitur: Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus. Diligis etiam Domine hominem, qui tenet sapien-